

*an H 18*

DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO - PRACTICA  
SISTENS  
**SALIVATIONEM SPONTANEAM**

---

QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DN. FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
HVIVSQUE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS  
MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMVISQUE  
IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

D. XVII. IVNII A. R. S. clō 1000LXVIII.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

**HERMANNVS DAVIDES HECKER**

STADTHAGA-SHAVENBVRGICVS.

---

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSERTATIO IN AERUM IN PATHOLOGICO PRACTICO  
SALVATORUM TONICUM

AVANTIS SYMPTOMATA  
CONGRUVA GRATIOSI ORDINE MENTIS  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
VRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
DN PRIDER. CHRISTIANO HENCKERO

PHILOSOPHO ET MEDICO VRO  
PRAEPOSITO PRAECEPTORUM ET DOCTORUM  
MAGISTRO REGII AC ARCHIEPISCOPI HANNOVERENSIS  
MEDICAE FACULTATIS CONSTITUTO

IN AERUM REGIAE THEOPHILICAE  
PRO GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA HONORIS ET VIRTUTIS DOCTORALIBUS  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
D. XVII IANU. A. M. DC. LXXIII.

AVANTIS  
HERMANNVS DAVIDES HENCKER  
STADTHAAG-SCHULMEISTER

HANNOVERAE, MDCCCLXXIII.



FORTISSIMO HEROI  
CELISSIMO ILLUSTRISIMO GENEROSISSIMOQVE  
COMITI AC DOMINO

DOMINO  
**G V I L I E L M O**  
COMITI REGNANTI COMITATVS  
**SCHAVENBURGENSIS**

COMITI AC NOBILI  
DOMINO LIPPIAE ET STERNBERGAE

AVGVSTI ORDINIS AQVILAE NIGRAE  
REGIS BORVSSORVM EQVITI

FIDELISSIMI REGIS LVSITANIAE ALGARBAEQVE  
DVCI GENERALI ET SVMMO

COPIARVM AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS  
ELECTORISQVE BRVNSVIC. ET LVNEBURG. GENERALI  
CAMPI MARESCHALLO

REL. REL.

NEC NON

SOCIETATIS BEROLINENSIS SCIENTIARVM  
MEMBRO HONORARIO

**DOMINO CLEMENTISSIMO**

OPTIMO PATRIAE SVAE PATRI

EXIGVVM HOC

PRIMITIARVM ACADEMICARVM SPECIMEN

IN

PERPETVAE VENERATIONIS SANCTISSIMAEQVE PIETATIS

MONVMENTVM

CVM

ARDENTISSIMO OMNIGENAE ET SEMPITERNAE FELICITATIS

ET PROSPERITATIS VOTO

SACRVM ESSE CVPIT

SIMVL

SE SVAMQVE FORTVNAM DE MELIORI SVBMISSA MENTE

COMMENDAT

CELSISSIMI NOMINIS

HVMILLIMVS ET DEVOTISSIMVS SERVVS  
HERMANNVS DAVIDES HECKER.



§. I.

*Salivationis in primis spontaneae notio.*



**P**roui nulla in corpore humano deprehenditur  
cavitas, quae fluido irrorante destituta sit: ita  
os quoque hominis internum suis, vigente sa-  
nitate, abundat liquidis. *Confluunt hic*  
*mucus*, cuius scaturigines eryptae sunt variae; *fluidum perspira-*  
*bile*, illi, quod nares, cutis, ventriculus, intestina & aliae partes  
similes secernunt, analogum; *saliva* demum, quae glandulis  
conglomeratis, in oris regione sitis, debetur. Plura sunt com-  
moda, quae inde a praesentia horum liquidorum, ad corpus hu-  
manum redundant quaeque Physiologia adumbrat. Non pote-  
rit ergo aliter fieri, quin iusto maiorem eorum excretionem da-  
mna insequantur, difficulter haud raro superanda. Eminent ve-  
ro ea in re *salivatio* quae dicitur excretio salivae per os, quae so-  
lito maior est. Quamvis enim saliva vix absque mucis & fluidi  
perspi-

perspirabilis, in ore contenti, reiectione, simul coniuncta, excerni possit: tamen, in salivatione considerata, nec mucum oris, nec fluidum istud perspirabile, sed salivam solum, a cuius excretionem maiori maxima damna pendent, attendimus. Dixi quoque, salivationem ponere salivae solito maiorem excretionem, non iusto maiorem, cum quae dicitur mercurialis salivatio non semper iusto, sed potius solito tantum maiorem sibi vindicet salivae excretionem. Possit vero salivatio in naturalem & artificialem dispesci. Haec per certa remedia & medicamenta excitatur; illa vel a statu corporis, sanitati adverso, proficiscitur, atque spontanea vocatur, vel a causa quadam violenta externa suscitatur. Spontanea itaque salivatio erit salivatio naturalis, quae causae cuiddam internae debetur. Atque huius iam causas, effectus & medelam generatim considerabimus.

## §. II.

Causae, quae salivam retinent.

Nos eas tantum tangere hic constituimus, quae ad intelligendas salivationis spontaneae causas facere possunt, reliquis, cum ad praesentem tractationem non pertineant, supersedentes. Illarum autem quatuor sunt, quae concursu suo salivam retinent in corpore: voluntas nempe animae; robur buccarum; moderatus salivae in os adfluxus; deglutitio dentum salivae paululum adhaesit. Excretio salivae plerumque est actio voluntaria, quae itaque pro ratione voluntatis animae diversa aut praestari, aut intermitteri potest. Quare voluntas animae ad causas, salivam retinentes, referri potest. Non minus robur buccarum. Eo enim praesente arctatur oris cavitas labiaque ad se invicem



vicem apprimuntur, quo fit, ut saliva adfluens ori interno inexistere pergat. *Moderatus* porro *salivae in os adfluxus*, cum absque iis incommodis, quibus nimis magna salivae in ore praesentis copia stipatur, adsit, cavere potest, ne homo ad frequentem praedicti fluidi excretionem cogatur. *Deglutitio* denique *salivae paululum accumulatae*, cum ea actione ad ventriculum deferatur fluidum, in ore antea contentum, exspuicionem salivae omnino impedit.

## §. III.

*Causae quae adfluxum salivae producunt.*

Primariae salivationis spontaneae causae, quae etiam frequentissime occurrunt ad eas reduci possunt, a quibus maior salivae adfluxus producitur. Non alienum itaque ab instituto nostro erit, si causas sistamus, quae generatim adfluxum salivae ad os efficiunt. Sunt vero continua salivae secretio, compressio partium, in quibus aut secernitur, aut secreta continetur saliva, irritatio tandem glandularum conglomeratarum, quae salivam separant, oris & primarum viarum. *Continua enim salivae secretio* efficit, ut prius secretae particulae ulterius protrudantur, quo sine dubio adfluxus salivae continuus iuvatur. *Compressio partium*, quas dixi, maxime potens est ea in re causa. *Parotis a musculo massetere succutitur*, & a colli latissimo, a maxilla demum ipsa, quae non potest vel sursum, vel deorsum vel ad latera moveri, quin parotis prematur. Deinde maxillares glandulae, dum os aperitur, fenticulum salivae per Whartonii ductum proiciunt, vi non minima. Id fit a potestate biventris primo, deinde Mylohyoidei musculi & a lingua depressa.

Sub

*Sublingualem glandulam Mylohyoideus totam urget & depressa lingua, interque eas potentias tamquam in prelo media urgetur.* Ita HALLERVS *Element. Physiolog. corp. hum. Tom. VI. pag. 56. 57.* Quare cum tam valida sit pressio, qua vicinae partes nituntur in glandulas istas conglomeratas & vasa salivalia; fieri aliter non potest, quin potentia ista auxiliatrice saliva ad os feratur. *Irritatio* demum harum partium & vicinarum, praecunte observatione, multum hic praestat. Redeunte adpetitu, adfluxus salivae efficitur; acida in ore detenta salivam huc derivant, notumque est, leviora emetica, quae primas sollicitant vias, ad ea remedia a Medicis referri, quae salivationem spontaneam excitant. Probabile est, has irritantes causas ob sensationem, qua stipantur, quaque congestionem sanguinis efficiunt, salivae adfluxum augere, licet exacta huius phaenomeni causa, vix suppeditari queat. Quidquid autem sit, patet tamen, irritationem antea dictarum partium salivae adfluxum versus os promovere, quod nobis sufficere potest.

## §. IV.

*Causae salivationis spontaneae*I. *Congestio sanguinis ad glandulas salivales.*

Cum liquida quaecunque secreta a sanguine, tamquam fonte, originem suam sumant: sequitur, copiam liquidi secreti adaugeri, quando, caeteris secretionum momentis iisdem manentibus, sanguinis congestio ad locum secretorium producat. Congestio itaque sanguinis ad glandulas salivales copiam salivae in ore maiorem efficiet & salivationem spontaneam (§§. I. IV.). Nunc vero duplex est congestionum causa; *una* adfluxum humorum

morum nimis magnum ad locum quendam determinat, altera refluxum illorum nimis impedit. Quare utraque causa, si glandulas salivales adficiat, salivationis spontaneae existit causa, & meretur, quae fusius exponatur.

§. V.

a) *Quae adfluxum sanguinis augent.*

Harum numerum subeunt sequentes: I. *Causae irritantes.* Omnem enim irritationem subsequitur adfluxus humorum. Quodsi ergo locis salivam secernentibus adplicetur irritans validius: fieri certe aliter non potest, quin adfluxus sanguinis augeatur. Intelligitur hinc quare fiat, ut Hypochondriaci dicantur sputatores? Satis enim nunc exploratum est, congeriem illam symptomatum, quae Medicis mali Hypochondriaci nomine venire solet, systemati nervorum eiusdemque tam auctae, quam alienatae sensibilitati deberi, ita, ut tamen primarum viarum functiones inde prae ceteris afficiantur. Irregulares itaque spasmi, qui circa primas sese exerunt vias, irritantem causam cum glandulis salivalibus (utpote partibus cum primis viis, ad quarum functionem conspirant, consentientibus) communicant atque salivales fluidi secretionem augent. Neque minus hinc intelligitur: cur cum certis quibusdam acrimoniis salivatio spontanea coniungatur. Variolae huc praecipue pertinent. Obscura equidem est variolosi miasmatis natura: certum interea est, illud lympham etiam & fluida lymphatica adficere debere, quod vel sola suppuratione docet, ad quam producendam tam potenter agit. Nunc vero salivae pars lymphae admixta est. Nonne itaque miasma variolosum glandulis quoque salivalibus

B

infer-

inferri, eas postea irritare & salivationem spontaneam excitare valet? Miasma venereum non minus huc spectat, quod aequae ac variolosum lympham adficit. Scorbuto quoque ob eandem causam salivatio accessit, cuius rei notabile exemplum ex RONSSEO habet HALLERVS *loc. cit. pag. 58.* Omitti etiam non debent, febres quaedam malignae vulgo dictae v. gr. Petechiales, quarum socia fuit salivatio spontanea observata. Demum ob irritationem glandularum salivalium adfectibus quoque catarrhalibus, Odontalgiae & Anginae comes sese adiunxit salivatio spontanea. In plurimis equidem horum casuum plures concurrunt causae, quae spontaneam salivationem produxerunt, neque ideo adfirmandum eandem ob solam irritationem enatam esse. Sufficit vero hic probasse, potuisse etiam ob irritationem salivationem spontaneam oriri.

## §. VI.

## 2. Motus sanguinis celerior.

Motus sanguinis progressivus, quo versus locum secretorium fertur, causa est fluidi, ibi secreti. Quare si augeatur, manentibus tamen reliquis secretionum momentis, copia fluidi secreti increseat necesse est. Quo maior enim est sanguinis, ut secretio fiat adpulsi, celeritas, eo maiorem etiam fluidum secretum nanciscitur celeritatem; eo hinc facilius vasa secretoria transit; eo minus fluido postea secernendo resistunt prius secretae undae, eoque tunc copiosior fit, dato tempore, secretio. Quod si itaque sanguis maiori cum celeritate versus glandulas salivales propellitur: saliva copiosius secerni, atque hinc salivatio spontanea oriri potest. Ita nova causa intelligitur, quare fiat, ut

non-

nonnullis febris (§. antec.) salivatio spontanea accedat. Effentia enim omnis cuiuscunque febris celeritate sanguinis maiori, quam sanitatis status permittit, absolvitur.

§. VII.

3. *Secretio et excretio alia suppressa.*

Inter leges secretionis, quas Physiologia pertractat, haec etiam occurrit: Imminuta se- & excretionis fluidi in una parte, adaugetur secretio in alia parte, ea praeprimis, quae fluidum illi simile secernit, cuius secretio suppressa est. Imminuta enim quantitate fluidorum in una parte, adaugetur copia illorum in aliis. Quodsi vero fluidi cuiusdam se- & excretio decreseat in loco quodam: eo certe respectu semper illius in ista parte copia imminuitur, quod, stato quodam tempore, non tanta copia, quanta ad sanitatis statum requiritur, per eam partem vehatur. Fieri itaque aliter non potest, quin eorum copia in aliis secretoriis locis, similibus praeprimis, increseat, hinc etiam fluidum ipsum ibi secernendum. Nunc vero secretio, quae in glandulis salivalibus contingit, illi secretioni similis est, quae in cute, ventriculo, intestinis, renibus, pancreate aliisque perficitur. Quodsi itaque harum partium secretiones languescant, fieri omnino potest, ut copia salivae augeatur & salivatio spontanea oriatur. Memorat HALLERVS *l. c.* salivationem a suppresso pedum sudore & repercussa urina ortam esse. In homine, ex obstructo pancreate, hectico observabatur eadem (*Idem l. c. pag. 60.*). Salivatio spontanea, quae febris intermittens nonnunquam iuncta deprehensa est, passim forsitan obstructis visceribus & pancreati debetur, cum notum sit, quam prona

febris intermittens, quartana potissimum, ad viscerum obstructions producendas. Nonne etiam hypochondriacorum spatatio impedimentis istis adscribi ex parte debet, quae spasmi primarum viarum liberiori nonnunquam fluidorum secretioni ponunt? Demum salivatio spontanea, quae in variolosis toties observatur, hinc non minus proficiscitur. Observatur enim in variolis confluentibus frequentissime, cum pestifera illa variolarum species adeo cutim deturpet et obstruat, ut liquida, ibi secernenda, recte secerni nequeant, hinc ad alia ferantur loca. Neque observari solet ista salivatio in subiectis, quibus diarrhoea, variolarum frequens in infantibus comes, contingit, manifesto documento, eam excretionem maxima ex parte suppressis aliis se- & excretionibus, dandam esse, neque soli miasmati varioloso, quod nonnulli credunt.

§. VIII.

4. *Materia morbosa, ad glandulas salivales delata.*

Contingit non raro, ut morbi a materia quadam pendeant, quae vel partibus quibusdam solidis, vel humorum oceano inhaeret, quaeque dein, viribus potentis Naturae superata, eorum auxilio locis secretoriis magna, saepe enormi, quantitate infertur, e corpore postmodum eliminanda. Quodsi huius materiae, bene coctae & praeparatae, motus versus glandulas salivales fiat: ab ea congesta secretio salivae copiosior, maior eiusdem fluidi ad oris cavum adfluxus, & salivatio spontanea oritur. Hinc fit, ut obstructio glandularum salivalium, si convenienti methodo resolvatur, in salivationem spontaneam abeat. Hinc febribus intermittentibus salutariter nonnunquam accedit salivatio,

tio, cum ea vel inimica materia februm istarum, vel obstruens viscera spissum expellatur, eandemque ob causam in aliis epidemicis nonnunquam febribus solemnis esse solet. Explicatur etiam inde, quare factum, ut, notante NUCKIO, phthificis incipientibus salutariter contigerit, hydropicis, melancholicis aliisque subiectis, quae viscerum obstructione & labe adficiuntur. Neque minus demum intelligitur, cur de febribus lentis nervosis dixerit HUXHAMVS: *nulla melioris praesagii evacuatio est, quam satis copiosa salivatio sine aphthis.* Vid. EIVSDEM Oper. Phys. med. Tom. II. pag. 89.

## §. IX.

*§. Sanguis a vicina parte ad glandulas salivales restrictur.*

Notum est, non raro fieri in statu corporis humani praeternaturali, ut congestio sanguinis eam, quam occupat partem, relinquat, atque dein, nisi causa illius sublata sit, vicinam adficiat. Quodsi itaque sanguinis copia nimis magna parti cuidam in vicinitate glandularum salivalium sitae, sit illata: fieri potest, ut, temporis dein mora, glandulas praedictas adgravet, atque salivationem demum excitet spontaneam. NUCKIVS exemplum huius rei adfert. *Viro cuidam, inquit, litterato, postquam per aliquot dies sanguinis uncias tres quatuorve tussiendo reddidisset, sexiesve aut pluries, modo in brachio, modo in pede, vel manu secta vena fuisset; sanguinis sputum quidem cessavit, sed salivae secretio sputum hoc sanguineum subsequuta est tam copiosa, ut per quatuordecim circiter dies quotidie uncias triginta sex, si-ve pintam unam cum media, salivando redderet, quod quidem aegyrum multum debilitavit, attamen ab imminente periculosis-*

*simo affectu fere liberavit. Conf. EIVS Sialogr. pag. 36. Facile unicuique patere potest, eo in casu sanguinem, antea in pulmonum vasis accumulatum, ad glandulas salivales derivatum esse, postmodum salivationem spontaneam satis enormem excitasse, quae locum antea praesentis sputi sanguinei occupavit, fere eodem modo, ut variae excretiones mucii, haemorrhoidum & fluxus mensium vices nonnumquam subire solent. NVCKIVS equidem longe aliam huius phaenomeni causam adfert. Censet nimirum (l. c. pag. 35.) sanguinem crassitie sua peccantem, & tardius per glandularum salivalium caniculos motum, necessario in vasorum extremitatibus moram aliquam debere necere, & copiosorem salivae materiam suppeditare, atque inde salivationis in febribus & melancholicis adfectibus causam repetendam esse. In sanguinis sputo (ita pergit) idem fere notandum, ubi sanguinis spirituosus non parum, massa sua, frequentiore salivae sputo, orbata, quod remansit reliquum in motu suo tardius sit necesse est, & consequenter salivae secretio maior. Verum enim vero hanc illud phaenomenon explicandi rationem minus cum veritate consistere posse, quis non intelligit? Spissitudo equidem sanguinis per vasa motum omnino impedit, numquam tamen largiores secretiones, sibi relicta, producit, cum ipsamet languori potius earum faveat, quod febres etiam testantur, quae, quando ipsis spissitudo sanguinis iuncta est, cum siti, adeoque impedita etiam salivae secretionem, connexae deprehenduntur. Neque critica foret eiusmodi salivatio, quae a lentore sanguinis originem suam sumit, sed symptomatice, cum tamen exempla, a NVCKIO saltim adlata, doceant, eam criticam in iis casibus existisse*



tisse —. Forſitan ob eandem cauſſam, quam diximus, in capitis dolore, odontalgia, gravi auditu &c. ſalivatio ſponte oborta levamen attulit, quod NUCKIUS teſtatur *l. m. c. pag. 37.* Nam & in his morbis vicinae partes adſciuntur.

## §. X.

b) *Quae refluxum ſanguinis impediunt.*

Diximus §. IV. alteram, quae ſanguinis ad partem quandam congeſtionem producit, cauſſam redire ad impeditum illius ab ea refluxum; perdurante enim, eo ipſo tempore, ſanguinis adfluxu, fieri nequit, quin ſanguinis copia increſcat. Cum itaque ſanguinis congeſtio ad glandulas ſalivales generatim ſit ſalivationis ſpontaneae cauſſa: impeditus quoque illius a glandulis ſalivalibus refluxus huc referri debet. Quae itaque obſtruendo aut premento in venas harum glandularum agunt, arteriis liberis adhuc exiſtentibus, ſalivationem ſpontaneam creare poſſunt, quamvis fatendum ſit, rariores certe has cauſſas eſſe debere, cum obſtructio aut preſſio venarum rarius ſola & ſine iuncta arteriarum aut obſtructione aut preſſione adſit.

## §. XI.

II. *Reſolutio ſanguinis nimia.*

Sequitur alia ſalivationis ſpontaneae cauſſa generalis, reſolutio nempe ſanguinis nimia. Conſtat ex Phyſiologia, quod, quando ſecretio fluidi cuiusdam contingere debet, neceſſe ſit, ut quaedam ſanguinis particulae ſeparentur a reliquis, quibuſcum antea cohaerebant. Patet hinc, ſecretionem fluidi ſemper faciliorem evadere, quando particulae ſecernendae minus cum reliquis cohaerent. Quod cum obtineat, reſolutione ſanguinis nimia

mia praesente, sequitur, eam faciliores, hinc etiam magis auctas fluidorum secretiones inducere posse, atque ideo quoque salivationem spontaneam (§. II.) HUXHAMVS *loc. cit. Tom. I. pag. 224.* variolas describit, quae huc pertinent. *Variolae epidemicae hic & ubique, inquit, iamque multo peioris sunt notae, saepe cum lividis & nigris petechiis, saepe sessiles sunt & subnigrae, saepe vacuae omnino, saepius acri admodum ac crudo ichore turgidulae: Plures sane iugulant: Qui evadunt, plurimis molestissimis furunculis & ulcusculis frequenter admodum infestantur —. Haec raro immensa fit, ipsis primis morbi diebus, salivatio, tenuis quidem ea & acris maxime, unde fauces & totum os mox exulcerantur.* Manifesto ex hac variolarum descriptione patet, eas putridas fuisse, salivationem ergo immensam resolutioni sanguinis, a putredine factae, deberi.

## §. XII.

## III. Separatio tenuioris partis a crassiore in sanguine facta.

Solet in morbis non raro contingere, ut pars tenuior sanguinis a crassiore plane separetur, potissimum vero id fit in morbis inflammatoriis & iis, quibus debilis virium sanguificationis constitutio iuncta est. Eiusmodi autem partis tenuioris separatio plane eundem habet, ac resolutio sanguinis, effectum. Cum enim cohaesio partium discernendarum cum reliquis iam sublata fit: fit, ut secretio fluidi nimis facilis contingat atque ideo copia eiusdem intra datum tempus, nimis increseat, hinc etiam secretio atque subsequens eam excretio maior reddatur, quam status sanitatis permittit. Explicantur hinc non solum sudores profusivi & lethales in inflammatoriis morbis, in hypochondriacis, phthi-

ficus

ficus &c. sed intelligitur quoque, posse ab eadem sanguinis constitutione salivationem spontaneam oriri. Nonne hinc etiam salivatio, oris inflammationibus accedens, ex parte proficiscitur? Memorabilem huius rei casum habent *Nov. Act. A. N. C. Tom. I. p. 185.* a Clariss. GESNERO consignatum. Enormis adfuit linguae tumor inflammatorius cum adeo profuso salivae effluxu, ut copia illius intra nycthemeron ad libras plus, quam duodecim adscenderit. Non negandum, hunc tam copiosum salivae effluxum ab irritatione, impedita secretione in ore & forsitan (a punctura enim insecti ortus erat linguae tumor & odor salivae mercurii, humoribus corporis admixti, suspicionem induxit) acrimonia fluidorum provenisse; sed, quam diximus, causa forsitan non est excludenda, cum febris satis acuta adfuerit, quae, crassamentum sanguinis nimium compingens, eius a tenuiore parte separationem efficit. In aliis morbis eadem causa salivationis accedere potest.

§. XIII.

*IV. Deficiens buccarum robur.*

Cum robur buccarum retineat salivam in ore (§. II.): eius defectus salivationem spontaneam excitare valet. Quare paralyticis istorum musculorum adfectibus accedit salivatio. Atque hinc etiam fit, ut in apoplecticis de ore saliva effluat. Vid. HAL-  
LERVS *l. supra citat. pag. 61.*

§. XIV.

*V. Convulsio musculorum glandulas salivales comprimentium.*

Compressio glandularum salivalium earumque ductuum salivae iter ad os promovet (§. III.): hinc ab aucta illa compressione

copia salivae in oris cavo increfcere debet. Pulcre ea de re differit  
 NVCKIVS loc. cit. pag. 40. sequen. Ad oscitationem, inquit, proni  
 post eam saepe experiuntur, os saliva abundare, quod non aliunde  
 fit, quam quod muscalis, quibus oscitatio peragitur, simul &  
 glandulae & glandularum ductus salivales comprimantur; un-  
 de omnis, quae in iis continetur, saliva os versus demandatur.  
 Idem etiam contingit, si ductuum Stenonianorum ostia, in os hi-  
 antia, angustiora sint, unde ipsi ductus dilatantur, & saepe mo-  
 dica quantitas salivae in iis adservatur; qui iam eiusmodi ducti-  
 bus gaudent, dum ore patulo ab interna parte ductus mediante  
 lingua, externe vero & glandula & ductus comprimatur, saepe  
 incundo spectaculo os extra ad aliqualem distantiam profilit sa-  
 liva: immo aliquos novi, quibus sola glandulae ductusque Ste-  
 noniani compressione, ex parenti ore rivulosa prodit saliva. Con-  
 firmantur hinc, quae ea de re §. III. dicta sunt. Quoniam nunc  
 sub convulsione musculorum pressio erga glandulas salivales au-  
 geatur: non solum maior salivae ad os adfluxus producitur, sed  
 fieri etiam potest, ut, perdurante ea convulsione, spontanea ori-  
 atur salivatio. Celeberr. DANIEL in den Beyträgen zur medici-  
 nischen Gelehrsamkeit Th. II. pag. 65. exemplum huius rei sup-  
 peditat. Cum convulsione enim maxillae inferioris perpetua sa-  
 livatio coniuncta fuit. Quo etiam casu utitur HALLERVS, ut  
 vim eorum musculorum in excernenda saliva probet.

### §. XV.

#### VI. Relaxatio glandularum earumque ductuum.

Sub relaxatione partium, quae secretioni euidam inservi-  
 unt, partim congestio humorum obtinet, partim ductus ipsi &  
 vasa

vasa ampliantur. Ob utrumque momentum secretio liquidi superat illum gradum, qui sanitatis statui maxime conveniens est. Poterit itaque salivatio spontanea ob relaxatas glandulas salivales, earumque ductus oriri (§. II.). Atque idem statuendum de *erosione* ductuum salivalium.

§. XVI.

*VII. Impedita salivae deglutitio.*

Quando in morbis quibusdam copia salivae in ore praesto est, deglutitio rariis illius impeditur: frequens illius reiectio contingat necesse est & salivatio etiam spontanea (§. II.). Obiinet id in Angina, quae deglutitionem impedit, quamvis impedita haec functio non unica huius phaenomeni causa existat, quod censet *NUCKIUS loc. cit. pag. 40.* Occurrit eadem causa in variolis passim, quae fauces occupant, quod fieri posse contra *TISSOTUM* vrget *TRALLEs.* Neque minus huc paralytica musculorum pharyngis constitutio pertinet, quae magnopere deglutitionem impedit, nec spasmi eorum musculorum excludi debent, cum arctantes pharyngis cavum liberumque partium motum praepedientes, deglutitionem aut impossibilem aut certe dolorificam reddant.

§. XVII.

*Effectus salivationis spontaneae mali.*

Pensitatis salivationis spontaneae causis, ad eius effectus transeundum est & signa, quae ex illius praesentia in morbis desumi possunt. Ea est salivae utilitas, ut adfluens siccitatem oris, alias ob aeris transitum praepremis metuendam praecaveat; ut vi solvente salis saporem efficiat & adjuvet; ut lubricando mo-

tum corporum deglutitorum promoveat; ut appetitum excitet & digestionem ciborum faciliorem reddat. Quando itaque salivae excretio vere excedens oboritur: omnes isti effectus pereunt & quae contraria sunt producuntur cum morbis inde pendentibus, prostratione praecipue appetitus & difficili concoctione. Quanta vero exinde mala! Virium prostratio summa, febres lentae & hecticae, hydropes, phthises & alii morbi, quos spissitudo & acrimonia humorum, fractum solidorum robur & liquida stagnantia ingenerare solent. Natura salivae multo adhuc magis docet, quare nimiam illius excretionem tanta infrequantur mala. Salivali enim fluido particulae quaedam lymphaticae inhaerent, quarum defectus, ob salivae excretionem nimiam, in corpore enatus non poterit non virium prostrationem, appetitus & coctionis decrementum & reliqua modo adducta mala procreare. Facile hinc patet eadem mala enasci debere, quando spontanea salivatio ita oboritur, ut insignis salivae laudabilis beneque praeparati copia eliminetur. Interea tamen non raro in morbis fieri solet, ut cum maximo aegrotantis emolumento salivatio spontanea oriatur, quod iam speciatim ostendam.

### §. XVIII.

*Salubritas salivationis in variolis & morbis similibus.*

Quae variolis, confluentibus potissimum & iis, qui in adultis nascuntur, accedere solet salivatio spontanea generatim tamquam vere salutaris considerari potest. Non solum enim pars miasmatis variolosi, lympham & serum inquinantis, excernitur, si salivatio bene procedit, sed cavetur etiam ea excretionem, ne  
letha-

lethalis suffocatio accedat ob congestos, non vero excretos humores. Conferri hic debent SYDENHAMI scripta, quae comoda & incommoda salivationis spontaneae, in variolis subortae, vividis coloribus depicta ostendunt. Eandem salubritatem eiusmodi salivationi, qua aliud miasma, venereum, scorbuticum, petechiale &c. expellitur, adsignare possumus, quod si modo caveamus, ne salivationem symptomaticam cum critica confundamus, quarum discrimen ex virium aut decremento aut incremento quam optime diiudicari potest. Quamvis caeterum praedictae salivationes vere salutares sint: semper tamen cogitari debet, dari alias excretiones, quae eandem utilitatem praestant atque ita quidem, ut longe minori incommodo stipentur, esse itaque optandum, ut morborum adductorum curatio absque salivatione absolvatur. Nonne finis iste cito, convenienter tamen, auctis aliis excretionibus impetrari possit? Laxantia potissimum utramque hic facient paginam.

## §. XIX.

*Salivatio spontanea nonnunquam salutaris in morbis, a viscerum obstructione oriundis.*

Qui in superioribus dicta de salivationis spontaneae causis considerat, intelliget facile, eam excretionem tam symptomaticae, quam criticae morbis accedere posse, qui cum viscerum obstructionibus connexi sunt. Symptomatica id est, quae hic ideo tantum nascitur, quoniam sanguis, per viscera & vasa obstructa non motus, congeritur in locis, salivae se- & excretioni destinatis, non solum non salutaris nominari potest cum obstructionis resolutionem efficere nequeat, sed nociva etiam existit.

Facile enim debilitatem & humorum spissitudinem inducit, quo utroque morbo obstructions viscerum magis crescunt. Critica vero, id est ea, quae resolutas vasa antea obstruentes particulas educit, non nisi salutaris dici potest. Prouti enim Medicus post impetratam obstruentis resolutionem eius evacuationem salutari cum effectu molitur: ita etiam Natura, si obstruens atrenuatam sponte per suetas excretiones eliminatur, salutariter operatur. Interea hanc Naturae viam non indiscriminatim imitari medicum oportet, quamvis sint, qui in obstructionibus partium mercurialia aliaque salivantia eo fine commendant, ut salivatio excitetur eaque resolutum evacuetur. Nonne enim loca dantur excretoria, quae magis apta sunt? In obstructionibus tamen glandularum salivalium eiusmodi auxilia recte admittuntur.

§. XX.

*Utilitas salivationis spontaneae in febribus intermittentibus consideratur.*

Raro contingit, ut febres intermittentes per abortam salivationem spontaneam solvantur, cum partim febres intermittentes existant, quarum origo a morbosa materia repeti nequit, partim materialis istarum febrium causa, si praesens fuerit, eius sit plerumque indolis, ut ob crassitiam aut alias circumstantias glandulis salivalibus vix inferatur. Exstant interea passim eius rei exempla, quae ex HOFFMANNO aliisque collegit HALLERVS *loc. cit.* Nunc equidem salivatio spontanea istis in casibus poterit ex parte signum potius, quam causa recuperatae sanitatis esse (cum, quod statuit HALLERVS, restituae in minimis canali-



naliculis libertatis, hinc resoluti visceri signum esse possit): ex altera vero parte critica dici omnino potest, cum, si pro signo unice habeatur resoluti visceri, nec foetor salivae, saepe saltem tunc observatus, nec id explicari possit, quod in iis etiam comparuerit febribus intermittentibus, quas putrida sanguinis resolutio comitabatur. Interea non omnis salivatio, febribus istis accedens, salutaris dici potest, cum summam nonnunquam, persistente nihilominus febre, produxerit debilitatem, cuius rei exempla enarrat *MEDICVS Beobacht. Th. II.*

## §. XXI.

*Salutaris spontaneae salivationis, ab aliis excretionibus suppressis ortae, effectus.*

Cum fluidorum excretiones ideo fiant, ut nocivae corpori particulae eliminentur & damnum praecaveatur ex illarum retentione oriundum: excretio salivae spontanea, naturali etiam maior, quae vices alius excretionis naturalis suppressae subit, non nisi salutaris dicenda erit. Atque ideo magis verum reputari debet, cum istis in casibus salivatio spontanea, largissima etiam, minus salivales fluidi detrimentum plerumque inferat. Saepè enim id, quod tanta in copia excernitur, non sola est saliva, sed fluidum etiam aliud, urina, materia perspirabilis, mucus, a cuius ergo excretionem eo minus imminet damnum. Ex his etiam hydropicorum salivatio, si salutaris fuerit, diiudicari potest. Nam & in eo critica existere potest salivatio spontanea.

## §. XXII.

## §. XXII.

*Salivationis spontaneae derivans effectus.*

Diximus in antecedentibus salivationem spontaneam nonnunquam oriri, quando morbi ex congestione humorum in locis, glandulis salivalibus vicinis, oriuntur. Illa iam erit salutaris cum partim derivet, partim etiam sanguinem abundantem educat. Excretiones feri non raro loco haemorrhagiarum adsunt & damna, ab earum suppressione oriunda, praecavent. Nonne de salivatione spontanea, ex praedicta causa nata, simile quid dicere possumus? In eo, quem ex *NYCKIO*, supra adduxi, casu, salivatio spontanea sine dubio erat salutaris. Idem de illa dicendum, quae periculosis anginis, odontalgiae, otalgiae aliisque morbis similibus accedit.

## §. XXIII.

*Signa salubris salivationis spontaneae.*

Omnes credo, enumeravi casus, in quibus salutaris dici salivatio potest; in reliquis minus salutaris existit, estque symptomata? Superfunt signa, e quibus salubritas sponte subortae salivationis peti debent. Atque haec redeunt ad *morbi decrementum*, cui natales suos debet salivatio spontanea; ad *virium prostrationem* vel nullam, vel minorem a bene procedente salivatione abortam; ad *lenia symptomata*, sufficienti salivationi accessoria; ad *cognitam morbi praesentis naturam*, quatenus eam per salivationem spontaneam optime solvi potest ostendit.

## §. XXIV.

§. XXIV.

*De regulis circa salivationem spontaneam generatim observandis.*

Restat, ut practicas quasdam regulas theoriae expositae adiungam. In generalioribus hic adquiesco, cum specialiore tractationem non capiant paginae scripto academico destinatae. Cum salivatio spontanea morbis accedens modo salutaris, modo insalubris sit: de eo ante omnia sollicitus esse debet medicus, ut de salubritate aut noxa huius excretionis in morbis certus fiat, cui disquisitioni signa §. anteced. allata inservire possunt. Quod si cognoverit, salivationem salutarem existere: eam I. *apto vitae regimine sustentet*, si sufficiens fuerit. II. *Languentem congrue promoveat & revocet*; aut si id fieri nequeat III. *excretionem aliam similem excitare armitatur*. IV. *Virium defectum, si forsitan paullo magis urgeat, tollat*. Nociva vero salivatio spontanea has sibi vindicat regulas generaliores I. *Applicentur remedia, quae minuendae salivationi inserviunt*. Deinde II. *Causa salivationis spontaneae minuat, tollatur*. Tandem III. *Virium prostrationi obviam eat Medicus*.

§. XXV.

*Aptum vitae regimen, quod salivationem sustentat & promovet.*

Huc potissimum pertinent I. *Aer moderate calidus*. Frigidus enim fluida repellit; nimis calidus sanguinem commovens tantam in ipsius motu celeritatem inducit, ut secretio salivae rite perfici nequeat. 2. *Insignis potuum diluentium copia*. Alias salivatio spontanea defectum fluidissimarum sanguinis partium infert, qua salivatio postea supprimitur, quod in Variolis

D

non-

nonnunquam contingere solet. Confer. SYDENHAM. *l.c.* p. 83. 84. 93. & aliis locis. Hinc cerevisiam tenuem hoc in casu laudat & alia potulenta *l. cit.* p. 125. Dein 3. *Somno aeger minus indulgeat*, ne scilicet, cum somnus languentem sanguinis motum inducat, ob deficientem illius versus glandulas salivales impetum, salivatio minuatur. Hinc TISSOTVS somnum in febre secundaria variolarum, praesente salivatione non laudat. Confer. EIVS *Epistol. de Variol. Apopl. et Hydrope* p. 24. 25. *Vidi in confluentibus*, inquit, *somno caruisse aegrum per septem nyctymera nec pejus se deinceps habuisse; alios qui sopore subinde predebantur excitari saepius curavi, dum evigilantes anxios magis viderem ex retenta salivatione, quae indefinente rivo fluens minutum cohiberi nequit quin tumeant magis fauces. Illam ad septem libras intra nyctymerum ascendere vidi. Diutius aliquoties, jam superato morbo, imo ad triginta dies ut vidi, remanet salivae fluxus aegris molestus, quem tamen compescere nolui; crisis est enim utilis & sponte cessans prout novam acquirit diathesim sanguis, & solida, accedente praesertim exercitio, roborantur; tabidam mentini puellam, cuius morbi initium fuerat tussis post compressam salivationem gargarismate adstringente. Tandem 4. Moderatione animi pathematum, ne aut repellatur fluidum salivale excernendum, aut salivatio saltim supprimatur. Facile ex his aliae regulae diaeteticae, hic observandae, deduci possunt.*

## §. XXVI.

*Remedia alia, quae promovent languentem salivationem.*

Quosi salivatio spontanea salutariter enata est atque postea languet, neque sufficiens est: tunc praeter diaetetica auxilia, §. antec. allata, aliis saepe auxiliis opus, ut ea restituatur & copiosior evadat. Valent hic quam maxime ea remedia, quae causae suppressae salivationis tollant. Nunc vero spissitudo humorum, ariditas vasorum, orgasmus sanguinis, virium languor primariae illius sunt causae. Quare diluentia, resolventia, pro diversitate morbi electa, emollientia, analeptica, irritantia & temperantia ad restituendam salivationem remedia erunt optima, quorsum ergo ea etiam pertinent salivantia, quae in Therapiae generalis fundamentis commendantur, satis nota, quorum tamen selectus ex cognita morbi praesentis natura determinari debet. Liceat mihi specialiora quaedam hic adiciere, quae notabilem illam variolis iunctam salivationem respiciunt, cum in eius curatione errare maximum corpori aegro damnum adferat. *Ad sustentandam* illam evacuationem narcoticorum usum maximopere suadet SYDENHAMVS, vult tamen simul, ut aer ambiens minus sit calidus; caveatur, ne sudores moveantur; potus diluentes (§. antec.) larga manu aegro praebeantur, atque temperantium tam potentiorum, quam medicamentorum vsus interponatur. Propinavit ideo ut plurimum vel Laudani liquidi guttas XIV. aut circiter, vel Syrup. de Meconio unciam j. in aqua quadam stillatitia solutam. *Quae, inquit, si adultis* (in infantibus enim, cum sanguis mitius ferueat & diarrhoea adsit, si regulares fuerint variolae & distinctae, Narcotica non admittit) *post ple-*

nam eruptionem ad morbi usque finem singulis noctibus propi-  
 nentur, non modo incommodi nihil, sed & magnum inde emo-  
 lumentum capient, quod frequenti experientia didici. Verum  
 enim vero si opiatorum effectus cum medela Variolarum, a  
 SYDENHAMO tradita, comparaveris: concipi vix potest, qua-  
 re summus vir tantum ea remedia in sustentanda & restituenda  
 salivatione variolosa dilaudet. Opiata enim, quod TRALLES,  
 credo, omni exceptione maioribus argumentis comprobavit,  
 sanguinis motum intendunt, cum SYDENHAMVS tamen omnia  
 calefacientia damnet, eam inter alia ob causam, quod minu-  
 ant & sufflamment salivationem. Neque ipsa opiatorum actio,  
 qua vim nerveam imminuant, sustentandae salivationi inservi-  
 re potest. Quare certe damnantur a TISSOTO & TRALLES.  
 Qua vero ratione concipiendae sunt, ad quas provocat SYDEN-  
 HAMVS, observationes? Ita ea de re censeo. *Primo* satis alias  
 perfecta fuit, quam proposuit, variolarum medendi metho-  
 dus, hinc admissum opiatorum usu peccatum aliis remediis di-  
 luentibus temperantibus emendatum nocere non potuit. *De-  
 in* SYDENHAMO obiecit iam MORTON, eum nimium esse sole-  
 re in commendanda methodo antiphlogistica, cum variolae fac-  
 pius eius etiam sint indolis, ut non sine damno aegri remedia  
 mere antiphlogistica, illius praesentibus dari queant. Nonne  
 probabile est, SYDENHAMVM, licet noluerit id, opiatis damno  
 praevenisse quod nimis & nimium forsitan frequenter admissa  
 methodus antiphlogistica inducere potuisset? Nonne si ob ni-  
 mis imminutum sanguinis circulum suppressa fuerit salivatio,  
 opiata eam restituent? Praeter haec in suppressa a viscida sali-  
 va

va ea excretionem commendat quoque *emetica*, quae & irritant & suffocationem praepediunt, quamvis certius adhuc remedium desideret. Nonne maturus laxantium usus hic valeret?

§. XXVII.

*Euacuantia & roborantia.*

Cum vitae nonnunquam periculum ab imminuta aut suppressa salivatione spontanea immineat: illud datis aliis evacuantibus (§. XXIV.) avertendum erit. Laxantia & vesicatoria aut sinapismi generatim hic maxime laudanda, neque pediluvia calida aqua adhibita, contemnenda erunt. Quod virium defectum attinet, quem optima nonnunquam salivatio inducit (§. XXIV.): isti analeptis congruis & nutrientibus obviam ire debemus. Nascitur enim virium prostratio a lymphaticarum defectu. Nutrientia lympham restituunt, analeptica vero vires corporis deficientes blanda erigunt. His demum ea remedia iungantur, quae salivationem spontaneam moderantur, ne eius excessus, ob virium prostrationem iam inductam metuendus, corpori aegro detrimentum inferat.

§. XXVIII.

*Salivatio insalubris medela generatim considerata.*

Salivationi insalubri (quorsum etiam excedens iure referri potest) eiusmodi remedia opponi debent, quae I. secretionem salivae moderantur & minorem reddunt, quorsum opia-

ORIV

D 3

ta

ta spectant. 2. Alias excretiones intendunt, ut laxantia sunt.  
 3. Causæ salivationis insalubris contraria sunt, ut sunt obvol-  
 ventia, acida & alia, pro causarum differentia diversa. 4. San-  
 guinis motum temperant, ut emulsiones. 5. Roborantia  
 demum (§. anteced.), quae inductam virium  
 prostrationem tollunt.

## T A N T V M.



VIRO



V I R O  
PRAENOBILISSIMO AC DIGNISSIMO  
SALVTARIS DOCTRINAE  
D N. D O C T O R A N D O

S. D. P.

P R A E S E S.

Qui vtilia argumenta & nondum ab aliis sufficienter explanata plenius excutiant, ii non exiguam mihi videntur mereri laudem. Quumque TV, PRAENOBILISSIME DOMINE DOCTORANDE, talem selegeris materiam, quae, quamvis vtilissima sit, haectenus tamen non pro dignitate explicata fuit; ea propter TE promerita omnino laude maectandum existimo. Mihi saltem nullum scriptum academicum recentiori tempore editum innotuit, quod ex instituto hoc thema explicaret, licet materia passim a medicis nostri aevi ventilata fuerit. Res ipsa saepe in praxi clinica obvenit, licet enim *salivatio spontanea* tamquam morbus ideopathicus paullulum rarior sit, multorum tamen morborum non infrequens symptoma existit, & crebro criticam efficaciam praestat; quarum assertionum exempla plura in HOFFMANNI, ETTMÜLLERI, WEDELI, aliorumque clarissimorum medicorum scriptis leguntur. Vtilissimus igitur labor est huius excretionis phaenomena, causas & effectus accurate peruestigare, dum sub hac exploratione non fieri potest non, quin vtilitates practicae inde emergant, si rite cognoscimus, in quibus morbis? quando? & quomodo salivatio spontanea vel promovenda, vel moderanda sit? Variis annis praesertim

iii

in autumno sub constitutione aëris frigido-aquosa & grassante simul  
 miasmate exanthematico, adeo frequentem iuvenibus scholasticis salivationem spontaneam cum affectu faucium mucoso observavi, ut mihi  
 persuasum habeam, eam interdum epidemicam notam gerere. Quam  
 sententiam confirmat *salivatio spontanea*, quae, secundum *A. N. C.*  
*Ann. 1712. Cent. I. Observat. CXXXVII. pag. 273.* anno aerae Christianae  
 1694. in pluribus regionibus epidemice grassata est. Ex his mul-  
 tisque aliis observationibus abunde constat, salivationem spontaneam  
 quandoquidem vices excretionis vniuersalis periphericae in graviori-  
 bus morbis exanthematicis implere; ideoque eo etiam intuitu vberio-  
 rem efflagitare perfratationem. Ex animo itaque TIBI, PRAENOBILIS-  
 SIME DOMINE DOCTORANDE, hoc egregium specimen inaugurale  
 gratulor & bonum Medicum TE futurum ominor. Quum enim ho-  
 spitio meo usus sis, & meae scholae, in artem salutaris institutas,  
 assidue frequentaveris, ipse & diligentiae & honestatis TVAE perpe-  
 tuus sui testis. Sic etiam ex aliorum celeberrimorum Professorum  
 praelectionibus ita profecisti, vt exinde futurae praxeos utilitatem  
 praevideam. Neque silentio praetermitto indefessum, quem in TE  
 deprehendi, aegrotantibus inserviendi laborem, quo mihi, in praxi  
 occupato, profuisti, indeque non poenitendum percepisti fructum.  
 Gratulor TIBI, PRAENOBILISSIME DOMINE DOCTORANDE hos in arte  
 medica acquisitos profectus; gratulor TIBI de feliciter emenso studio-  
 rum stadio; gratulor denique TIBI de Laurea Doctorali tempora TVA  
 cingente. De reliquo fausta quaevis TIBI apprecor. Vale, & res  
 TVAS age feliciter. Dabam in Fridericiana d. XIV. Iunii  
 MDCCLXVIII.



Ma 4711

ULB Halle  
003 941 760


3




St.

12







an 17 18

DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO - PRACTICA

SISTENS

# SALIVATIONEM SPONTANEAM

QVAM

FAVENTE SVMMO NVMINE

ET

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
DN. FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE

HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHETI HALENSIS

MEDICO PRACTICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE

IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

D. XVII. IVNII A. R. S. CL<sup>o</sup> MDCCCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

HERMANNVS DAVIDES HECKER

STADTHAGA-SCHAVENBVRGICVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

